





PANDECTARVM

Liber. XIII. de Tropis, Fi-
guris & modis loquendi
Scripturarum.

Item de locis Scripturarum
pugnantibus Parallela.

PROBLEMAT A

Quare quædã parum curio-
se retulerunt Euāgelistæ
Prophetæ quare in Parabolis
& ænigmatib. sunt locuti.

Otho. Brunfel.

Handwritten text on the right edge of the page, including the word "manus" and other illegible characters.



Ioanni Hartmanno, Britanniae suae
splendori, Otho. Brun-
felsius S. D.

NON usque adeo temere fuit, quod olim, vel doctis-
simis, vel potētissimis, prisci illi disciplinarum au-
tores, libros suos nunciaverūt. Videbant enim illi,
nullos adeo de literis pronuntiare rectius, quam quae easdem
etiam didicissent: nullos subinde subsistere aduersus
inuidiam pertinacius, quam prorsus potētissimos, et quae maxi-
me ab alijs suspicerentur (obscurat enim inuidiam, ut in-
quit quidam, excellens gloria) ita et ego nunc, Hart-
manne clarissime, Tropos meos uulgatius, tibi
potissimum uolui nunciare, ut sicut inter ingenu-
os, et liberos homines haberis doctus. inter do-
ctos nobiliss. ita operae huic meae, non solum in dis-
iudicando censor, uerum etiam contra hominum
maluolentiam patronus tibi ut esse uelis. quod ut
facillime potes, ita benigne ut obeas oro, atque ob-
secro. Si enim quid usque est in diuinis scripturis spi-
rituosum, uel quod magis Delio (ut dicitur) indiget
narratore, tum tropos, schematismos, idiomata, et
quicquid est eius generis figurarum deprehende-
re, operae est prorsus laboriosae, et hominis exercita-
tissimi. Cesso interim dicere, quam inuidiae obno-
xium, quae inuenit passim, cum ab ijs, qui ut ipsi so-
li sapere uideantur, uaso suo suspendunt omnia. ma-
xime si opinionibus non applaudamus eorum, tum
ab spiritibus, qui hodie uniuersam scripturam con-

nellant, nescio quem spiritum suum iactantes, qui
illis oraculi est uice, et cui si non protinus subscri-
bimus, literatores, & scribae caeci illis sumus. cum
tamen interdum et ipsi sint homines & belli homin-
culi, ne Prophetas uel Apostolos suspiceris esse. ut
sane Lynceum, uel Argum esse quendam oportes-
at, qui uelit hodie seculo huic pessimo et ingratis-
simo scribere. Extant quoque Andreae Althameri
docti hominis, & Bedae (si modo non subdititius
est titulus) eiusdem argumenti commentarioli, quis
his si nostra non per omnia respondet, scito ab hinc
triennio me dictasse mea, quae unquam scripsisset Alth-
amerus, & inter tineas & blattas haberetur ad-
huc Bedae libellas. Interim et tu quoque mi Hart-

manne, tuos sic exprime conatus, ut sicut inge-
nio plurimum polles, sic ex te quoque multi
meliores fiant & doctiores. Bene

nale, et me ut soles com-
plectere. Argen-

torati ex no-

stra dia-

triba.

19

Calend. Martias. Anno

1528.

De Tropis

PANDECTARVM

Liber. XIII. De Scripturarum
Tropis, Orthonis Brunfelsij.

METAPHORAE.

MET Aphora, idest, translatio, tropus est longe pulcherrimus, quando uel nomen, uel uerbum, ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum, proprio melius est, transfertur. Huiusmodi in scripturis haec fere sunt, ex qb. tibi licebit similes animaduerrere.

Psa. 117 Lapidem quem reprobauerunt aedificauerunt.

Matth. 4. Venite ad me, & faciam uos pisces
tores hominum.

Matth. 7. Cauete ab pseudopphetis qui ueniunt
ad uos in uestimētis ouium, intrinsecus uero sunt
lupi rapaces.

Matth. 9. Messis multa, operarij pauci.

Matth. 11. Iugum meum suauē, et onus meum leue.

Matth. 21. Qui ceciderit super lapidem istum.

Luc. 14. Quisquis non baiulat crucem suam, &
uenit post me, non potest meus esse discipulus.

Iohan. 1. Ecce agnus Dei.

Iob. 15. Ego sum uitis uera.

Et pater meus agricola est.

Apo. 5. Leo de tribu Iuda.

Hoc modo Christus uocatur panis. Iohan. 6.

Pastor. Iob. 10. Radix. Apo. 5.

Scripturarum Oth. Brun.

Germen. Hier. 23. Flos. Esa. 11.

SYNECHDOCHES.

¶ Synechdoche, quam Cicero Intellectionem uocat, est, quando ex uno plura intelligimus, uel aliud intelligitur ex alio.

Gen. 27. Curre ad oues, et accipe inde mihi duos hedos. Simul pascebantur oues et hedi, sed quia potiores sunt oues, etiam caprinum pecus complexus est.

Gen. 35. Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia. Manifestum enim est, longe postea natum Benjamin, cum transisset Berhel, et appropinquaret Berlebē. Sed quia potior erat numerus undecim filiorum Iacob, qui nati fuerant ei in Mesopotamia, ipsorum commemoratione scriptura complexa est etiam Benjamin, quae non erat ibi natus.

Hie. 32. Ascende, et clama in Basan, da uocē tuā.

Hie. 51. Ecce ego ad te mons pestifer.

Matt. 5. Si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, porrige ei et sinistram. Quo utique inuit Dñs, ut toti simus parati ad sustinendum.

METONYMIAE.

¶ Metonymia. i. transnominatio, cū inuentorem pro re inuenta ponimus, uel continens pro contēto, et conuerso, uel effectum pro efficiente, dominum rei pro re ipsa, uel autorem pro opere. ut

Ezech. 20. Stilla ad Aphricum, et prophetisa ad saltum agri meridiani, et dices saltui meridiano.

A iij

De Tropis

2. Cor. 3. Quamdiu legitur Moses, uelamen positum est super cor eorum.

2. Cor. 3. Litera occidit.

ANTONOMASIAE.

Antonomasia, ea est nominis permutatio. ut cum dicitur,

Gen. 23. Et sepeliam mortuum meum. (betise)

Io. 21. Dicit eis Iesus. Pueri, num qd obsonij beo

Lu. 2. Annuncio uobis gaudium magnum, id est Euangelion.

Iob. 12. Iam princeps huius mundi eiectus est foras.

1. Petri. 5. Aduersarius noster circumit sicut leo rugiens, quaerens quem deuoret.

Iob. 21. Dixit discipulus ille quem diligebat Iesus. Dominus est. i. Iesus.

PERIPHRASES.

Periphrasis, fusior & locupletior est rei descriptio, aut ornandae rei gratia, quae pulchra est, aut regendi gratia, quae turpis est. ut

Qui uenturus erat in mundum, ubi Christum significamus.

CATACHRESES

Catachresis, uerborum abusus, quae non habentibus nomine suum, accommodat, quod in proximo est. ut si patriciam appelles, non qui patrem occiderit, sed alias hominem quentis. 1. Cor. 2. Sic Paulus animalem hominem accipit, pro eo, qui humano more sapiens est.

ALLEGORIAE.

¶ Allegoria, quam inuersionem interpretatur, cum aliud uerbis, aliud sensu ostenditur, aut nonnunquam contrarium. Sic

Allegoriam admittunt, Egressus Lot de Sodomis. Gen. 19 Respectio uxoris eius in sale conuersa. ¶ parabola omnes quae sequuntur.

P A R A B O L A E

¶ Parabola, est comparatio rerum genere differentium, quae etiam Tropis adnumerari solet. Huius sunt.

Matth. 25. Homo quidam peregre profectus

Io. 15 Sicut palmes non potest ferre fructum. ¶

Matth. 13 Simile est regnum caelorum saena.

Exijt qui seminat seminare semen.

Parabola de zizanijis. De grano Synapis.

De fermento, et farinae satis tribus. De thesauro

De Margaritis. (ab scodito.

2. Re. 2 Duo uiri erant in ciuitate una, unus diues,

Mat. 15. Non quod ingreditur in os. ¶ alter paup.

Mat. 16. Cauete a fermento Pharisaeorum.

Parabola decem milium talentorum Matth. 18.

De mercede conductis in uineam Matth. 20. 21.

De uocatis ad nuptias. Mat. 22. Item allegori

as habet. Egressus Abraham de Vr Chaldaeorum.

Discessio Agar, et Sarai, quae sunt duo testameta.

Item illud Mat. 3, Et uerilabrum in manu sua, et pur

gabit aream suam, et congregabit triticum in borreum, pa

leas autem comburet igne inextinguibili.

De Tropis.

Item similitudo de uinea Esa. 5. Vinea facta est dilecto in cornu filio olei, & sepsit eam, & lapides elegit ex ea, & plarauit uineam Sorek. Quod postea explicans propheta. Vinea inquit domus Israel est, et uir Iuda germē laudabile eius. Psal. 79. Vineam de Aegypto transtulisti. Hierem. 2. Ego te plantaui uineam electam, &c.

Rom. 13. Hora est nos de somno surgere. Nox praecessit, dies appropinquauit.

Ephes. 4. Surge qui dormis.

Ezech. 24. Dices per prouerbium ad domum irritatricē. Pone ollam aeneā, & mitte in eā aquā. &c.

Iohan. 10. Qui non intrat per ostium in stabulū ouīū, sed ascendit aliūde, ille fur est, & latro. &c. Hoc prouerbium dixit eis Iesus, illi autem non cognouerunt quae essent quae loqueretur.

Ezech. 29. Ecce ego ad te Pharaon rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus est fluuius, & ego feci eum. Et ponam frēnū in maxillis tuis, & adglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, & extabam te de medio fluminum tuorum. &c.

Ezech. 31. Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher in ramis, & frōdibus nemorosus, & inter condensas frondes eleuatum cacumen eius. &c.

Ezech. 32. Leoni Gentium assimilatus es, & draconi qui est in mari, & uentilabas cornu in fluminibus tuis. &c.

AENIGMATA.

¶ Aenigma, quædam allegoria obscura, magnis etiam autoribus usurpata. Ut sunt Iudicum nono. Venerunt ligna silvarum. Iudicij. 14. De comedente exiit cibus, & de forti egressa est dulcedo.

4. Regum. 14. Carduus libani misit. &c.

Ezech. 17. Fili hominis pone ænigma & narra parabolam. Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & uarietate, uenit ad libanum & tulit medullam cedri, summitatem frõdium auulsit, et transportauit in terram Chanaan &c.

Itē. 23. Duæ mulieres filie matris suæ fuerunt, quæ fornicatæ sunt in Aegypto. &c.

P A R E M I A E.

¶ Paremia, dictum celebre, aliqua nouitate in signe. ut. Gen. 10. Vnde exijt proverbium. Quasi Nimrod robustus uenator coram Domino.

Gen. 22. Appellauit nomen loci illius, Dominus uidet. Vnde usq; bodie dicitur in monte, Dominus uidebit.

Numeri. 21. Idcirco dicitur in proverbio. Venite in Efebon, ædificetur & construatur ciuitas Seanon. &c.

1. Regum. 10. Nunquid et Saul inter prophetas?

1. Regum. 27. Ab impijs egredietur impietas.

2. Regum. 20. Sermo dicebatur in ueteri proverbio, Qui interrogant, interrogent in Abela.

A 7

De Tropis

Prover. 22. Proverbiū est. Adulescēs iuxta viā suā, etiam cum senuerit non recedet ab ea.

Hiere. 29. A quibus exiit proverbiū maledictionis. Ponat te Dominus sicut Ahas & Sedechiā. Quos rex Babylonis frixit in igne.

Ezechielis. 12. Fili hominis, quod est hoc proverbiū in terra Israel, dicentium, In longum differrentur dies, ideo peribit omnis visio.

Ezech. 16. Ecce omnis, qui dicit vulgo proverbiū, in te assumet illud, dicens. Sicut mater, ita & filia eius.

Ezech. 18. Patres comederunt uivam acerbā. & cōdentes filiorum obstupuerunt.

Matt. 21. Cecinnimus vobis, & non saltastis.

Matt. 23. Colantes culicē, glutientes camelum.

Lu. 4. Medice, cura te ipsum.

2. Pet. 2. Canis reuersus ad suū ipsius uomitū, & sus lota reuersa ad uolutabrum cœni.

IRONIAE

Ironia, illusio quae nō ex uerbis, sed uel pronuntiatione, uel persona, uel rei natura intelligitur. ut

Amos. 4. Venite in Berbel, impie agite ad Galgalam, & multiplicare prœuagationem.

Matt. 11. Et iustificata est sapiētia a filiis hoīm.

Matth. 26. Dormite iam, et requiescite.

Lu. 22. Ecce duo gladij hic. Et rēdit. Satis est.

Ioban. 10. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, nos dicitis, quia blasphemus, quia dixi,

Scripturatum. Otb. Brun.

filii Dei sum.

Iohannis. 19. Ecce rex uester.

Acto. 23. Nesciebam fratres, quod pōtifex esset.

SARCASMI

¶ Sarcasmus, iocus amarulentus, atq; hostilis derisio. ut

Psal. 21. Sperauit in Domino, eripiat eum, saluū faciat eum, quoniam uult eum.

Matt. 27. Si filius Dei est, descendat de cruce.

HYPERBOLES

¶ Hyperbole, dementiens superiectio, ut quæ si dem non mereatur, uel augendi, uel minuendi gratia. ut

Gene. 11. Faciamus nobis turrim, cuius culmen pertingat usque ad coelum.

Gen. 41. Et congregauit Ioseph triticum sicut arenam maris.

Numeri. 13. Ibi uidimus monstra quædam filiorum Enach, de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ uidebantur.

Deuterono. 4. Ciuitates magnas atque miras tas usque in coelum.

Iudicum. 6. Instar locustarum uniuersa complebant. Et ibidem capi. septimo ad idem.

Iudicum. 7. Cameli innumerabiles erant, sicut arena quæ faceret in littore maris.

Iudicium. 7. Camelorum eorum non erat numerus.

Iudith. 2. Cooperuerunt faciem terræ sicut locustæ.

De Tropis

Psal. 106. Ascendunt usq; ad caelos, descendunt usq; ad abyssos.

Ezech. 31. Abietes non adaequauerunt summicitatem eius. Cedri non fuerunt altiores illo Paradiso Dei. Omne lignum paradisi non est assimilatum ei.

Abacuc. 2. Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas aedificatum est, respondebit.

Matt. 19. Facilius est camelum per foramen acus introire, quam diuitem in regnum caelorum

Luce. 19. Si uos tacueritis, lapides clamabunt.

Iohan. ultimo. Arbitror autem totum mundum non posse capere, qui scribendi sunt libros

A S T I S M I

¶ Astismus, urbanitas, orationis quasi festiuitas. ut.

Ioan. 9. Si caeci essetis, non haberetis peccatum.

Simile Vergiliano. Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat byrcos.

G R A D A T I O N E S

¶ Gradatio, forma quaedam exaggerandi est, qua praecedens uerbum repetitur. ut.

Rom. 5. Gloriamur in afflictione, scientes, quod afflictio patientiam pariat, patientia uero probationem, probatio autem spem.

C O N G E R I E S

¶ Congeries, ubi coaceruantur diuersae res, ut Rom. 1. Repleti omni iniusticia, scortatione, uersutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, caede, conten

tione, dolo. &c.

2. ad Timoth. 4. Erunt homines sui amantes avarissimi, fastuosi, superbi, maledici. &c.

CONTENTIONES

¶ Contentio, uel Antithesis, cum per contraria amplificamus. ut

Rom. 8. Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt curant, at qui secundum spiritum, quæ spiritus sunt.

Affectus carnis, mors est: affectus spiritus, uita
Litera occidit, spiritus uiuificat. (¶ pax.

Si secundum carnem uixeritis, moriemini: si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis

SUBIECTIONES

Subiectio, cum ipsi respondemus nostræ interrogationi, ut cum dicitur

Rom. 7. Quid dicam? Lex peccatum? Absit. sed peccatum nõ. &c. Ergo quod bonum erat, mihi factum est mors? Absit. Quid igitur dicam ad hoc? Ro. 8.

Nun in iusticia est apud Deum? Absit. Ro. 9.

EXCLAMATIONES

Matthæi. 23, Vae uobis Scribæ, Vae uobis Pharisæi hypocritæ.

Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Huiusmodi figuræ passim occurrunt, si quis cum in dicio legerit. Habent enim & diuinæ literæ quandam rhetoricen suam. Reliqua ipse uestiga diligens lector. Nobis satis fuerit, nisi ipsam monstrasse.

De Tropis.

¶ De quibusdam alijs modis lo-
quendi Scripturarum.

Eius farinae sunt & quae sequuntur, nimirum tropice & figurate dicta. Veluti Gen. 3. Aperti sunt oculi amborum.

Lu. 24. Cognouerunt eum in fractione panis, & aperti sunt oculi eorum. Non enim caeci erant, quando ambulabant per uiam.

Sic et illud Gen. 11. Et erat ois terra labium unum. Quod sic accipiendum est, oes homines in terra erant linguae unius, neque erat tum tanta linguarum uarietas.

Cui simile est illud Pro. 15. In manu linguae, mors & uita, cum prospiciuntur, linguam manum non habere.

Et illud Esai. 45. Omnia militiae caeli mandauit. Iona. 4. Praecepit Dominus spiritui coburenti, & uermi maentino.

Et Lucae. 8. Christus increpat mare et uentos. In quibus omnibus cum non sit sensus, iuxta proprietatem linguae accipienda sunt.

Metonymiam habet, quod est apud Esai. ca. 46. Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea uulua. Cum non uterum habeat diuina maiestas, sed quod nos adfectum Dei per nostra uerba discamus. Quemadmodum et hic. Psa. 107. Ante uentrem genui te. Psa. 2. Ego hodie genui te.

Frequenter ubi de corde incidit sermo, anima intelligitur. ut Esa. 46. Audite me duro corde. quod

Scripturarum Oth. Brunfel.

LXX. uerterunt, audite me qui perdidistis cor, id est, mentem. Et paulo ante. Redite preuaricatores ad cor.

Tritum prorsus est et hoc, et prophetis familiarissimum, sub involucro rerum corporalium, ea significare, quae intus sunt in anima. Quomodo in Ezechi. 26. sub figura navis et in instrumentum eius ornatus Tyri exprimitur. Et propter aquarum abundantiam, rex Aegypti appellatur draco. Hierusalem propter Idololatriam, lupanar.

Idem mysterium habent mutatio uasorum, transmigrationes apud Ezechielem. Mulier sedens super plumbo in Zacharia. apud Amos uincinus pomorum, et trulla cementarii. apud Hieremiam uirga uigilans, fractio lagunculæ in domo figuli.

Αὐθροπάλωσ est, quod humanos affectus tribuimus deo, non quod illos habeat in se, sed quia nostro hoc more loquitur scriptura, neque aliter nos capere possumus, nisi signis et imaginibus nostro more utamur. Eo sensu dicit. Iuravit Dominus in dextera sua.

Iratus est Dominus in populum suum. Et excitatus est, tanquam dormiens Dominus tanquam potens crapulatus a uino. Et huiusmodi sexceta. Nisquam enim similes locutiones non sunt. obuia

Pleraque elata numero singulari, re ipsa pluraliter exponuntur, et intelliguntur. ut Psal. 104. Dixit, et uenit locusta, et bruchus cuius non erat numerus.

De Tropis

Iob. 1. Residuum bruci comedit locusta.

Psa. 77. Attendite popule meus.

Exo. 13. Omne masculinum adaperiens uulnam.

Et e contrario, quæ pluraliter enunciantur, singulariter intelliguntur. Exo. 32. de uitulo. Fecerunt sibi Deos aureos.

Item. Illi sunt dñi tui qui eduxerunt te de terra Aegypti. Sic de latronibus dicit Matthæi. 27. quod Domino insultauerint, cum tamen unus solus id fecerit.

Multa, cum palam præferant rem sordidam ac turpem, ad allegoriam aliquam referuntur. ut cum Osee iubetur accipere uxorem fornicariam et adulteram. Et Ezechieli præcipitur, ut comedat panem conspersum stercore hominis. Et dormire sup uno latere diebus. 190. & in altero latere diebus. 40.

De Sexu hoc etiam non inusitatum est, mulierem usurpari indeferenter pro quolibet statu fæminei sexus, id est, pro corruptis, et incorruptis, uirgibus, & maritatis. Gen. 24. Si noluerit mulier uenire mecum in terram hanc. Et rursus. Si autem noluerit mulier sequi te.

In hac sententia quædam pura uocantur, cū sint alioqui corruptissima, ut Hier. 18. Quis facit talia horribilia, quæ fecit nimis uirgo Israel? Vbi uirginem uocat, de qua ante dixerat. Filij Mempheos et Taphneos constuprauerunt te ad uerticem. Et apud Ezechielem capit. 16. Diuasticasti pedes tuos

Scripturarum Oth. Brunfel.

omni transeunti.

Habet quoque ταυτολογίας suas Scriptura, et eas quidem crebras. Ex quibus sunt Psa. 1. Non sic impij, non sic. Psa. 2. Qui habitat in caelis iridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Quamvis plura huiusmodi, aliter in Ebraicis, aliter in graecis leguntur.

In relationibus temporum praeteritum effert, quod futurum erat, tum in primis usitatissimum prophetis. Psa. 68. Dederunt in escam meam fel. 21. Diuiserunt sibi uestimenta mea, et super uestem meam miserunt sortem. Esaiae. 53. Ecce uidimus eum, et non erat species, neque decor. &c.

In tempum supputatione, et hebdomadarum, interdum dierum, interdum uero annorum hebdomades supputant. de quibus dicitur in Leuit. 23. Numerabitis igitur ab altero die sabbati, in quo obrulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alterum diem expletionis hebdomadae septimae, id est, quinquaginta dies.

Hebdomades annorum. Leuit. 25. Numerabitis septem hebdomadas annorum, quae faciunt annos. 99. Et iterum Dan. 9. Usque ad Messiam ducem hebdomadas septem, et hebdomadas. 72. Et post hebdomadas. 72. occidetur Christus.

In alijs aut numeris hoc sic habet, ut ante septem minorem, postea maiorem numerum supputet. scriptura uerbi gratia. Nos iuxta proprietatem linguae latinae dicimus, Abraham uixit annos centum. 70. quaeque. Scriptura eorum

B

verso dicit, Vixit Abraā annis quibus 70. et centis.
 Quaedā iam facta fuisse intelliguntur, et per re-
 capitalationem postmodum cōmemoratur. Sicut ē
 illud Gen. 21. quod Abraā dicitur iurasse circa pu-
 teum iuramenti, qui tamen eo tempe pondū sic dice-
 bat, s; postmodū ab Abraham sic nuncupatus est,
 cū inisset foedus cū Pbicoler Abimelech. Qui igit
 librū Geneseos scripsit, lōge postq̄ acta sūt haec, ex
 nomine putei coniurationis uocauit Bersabee. i. sic
 appellabatur puteus, cum liber scriberetur, nomen
 tenens antiquum, quod Abraham imposuerat.

Sic quoq; dictum et hoc Num. 13. Venerunt usq; in
 uallē Botri. Non q̄ iam hoc uocabat nomine q̄
 transferunt, s; cū scriberet hic liber, iam sic uocaba-
 tur. Et itē illud Iud. 15. Idcirco appellatū ē nomē lo-
 ci illius, fons inuocātis de maxilla, et plura alia hu-
 iusmodi. Quaedā dicit se primum cognoscere de (iusmodi)
 his, quae tū haud dubie antea, s; ab aeterno cogno-
 uit, ut cum dicit Gen. 22. Nunc cognoui qm̄ tu ti-
 mes. Quod perinde est, ac si dicat, Nunc te feci co-
 gnoscere ut significet per efficientē, id quod efficit.
 Quemadmodum frigus, pigrum uocamus, eo q̄ pi-
 grum facit. Saepe obuiam sunt quoq; locutiones huiusmodi.
 Vsq; in hodiernum diē, Vsq; in p̄sentē diē. Quae in
 hunc sensū accipiendae sunt, quō nos dicimus, Rele-
 gatus est in p̄peruum exilium. cum tū nemo possit
 exulare ultra id qd̄ uiuit. Et pprie de hīs reb. dicit,

Scripturarum Orb. Brunfel.

quæ nō ita cōstitutæ sunt, ut postea mutarentur ab
eis, qui constituerunt.

Ut em̄ nos numerū infinitum u surpamus p finitū
to, totum p parte, partem pro toto, genus p specie,
speciem pro genere, ita Ḡ Hebræi.

Numerus infinitus p finito, ut Ex. 12. Erit uob.
in legitimū sempiternū. Exod. 21. Seruiet ei in sem
piternum. ubi non intelligit eternitas illa, s̄m quā
nobis æterna pmittunt neq; em̄ seruus iste uinere

Numerus finitus p infinito. (i eternū potuit.
Prover. 24. Septies in die cadit iustus. Mat. 18. Nō
dico tibi usq; septies, sed septuagies septies.

Totum pro parte. Exo. 32. Consurrexit pplūs in
Aaron. Neq; em̄ totus populus consurrexit in eū,
sed pars. id quod et Apostolus testatur. 1. Cor. 10.

Partem pro toto. Exo. 34. Deos conflatiles ne fe
ceritis. Non em̄ quia fusiles tantum nominauit, di
stiles, fictiles, ac ligneos permisit. Sic et illud. Prē
mitium subingalis redimes oue. Exodi. 34. Panē
nō comedit, et aquam non bibit. omnē cibū et potū
significās.

Genus p genere. Gen. 27. Sepeliā mortuum meū.
ubi masculinum ponitur p fœminino.

Genus pro specie. Exo. 22. Si aut̄ pignus accepe
ris uestē p ximi tui, ante solis occasū reddes ei. Sic
em̄ dictum est, ac si de omni ueste pignus dederit,
cum de illo specialit̄ dixerit: et ex cōsequentibus te
stat, q nō habet nisi eā uestē. unde se nocte cooptat.

Problemata

¶ Quare quaedam parum curiose
retulerunt Euangelistae.

¶ Quod nobis interdum usu uenit, ut sententiam referamus Scripturarum, nihil adeo solliciti quibus id faciamus uerbis, id in Euangelistis quoque est obseruandum, qui in adscribendis testimonijs Scripturarum, magis solliciti fuerunt, ut sensum redderent Scripturae, quam uerba. Aut absque nomenclatura referunt, aut plura testimonia in unum conlata uni adscribunt. Prophetarum, quae tamen ex diuersis sunt assuta. Quam licentiam pulchre excusat diuus Hieronymus commentarijs in Esaiam Prophetam, lib. 3. cap. 6. cuius uerba subscripsi.

Lucam inquit Euangelistam, tradunt ueteres Ecclesiae tractatores, medicinae artis fuisse scientissimum, et magis Graecas literas scisse quam Hebraicas: unde et sermo eius, tam in Euangelio, quam in Actis Apostolorum, id est, in utroque uolumine comptior est, et secularem redolet eloquentiam, magisque testimonijs Graecis utitur quam Hebraeis. Matthaeus autem et Ioanes, quorum alter Hebraeo, aliter Graeco sermone Euangelia texuerunt, testimonia de Hebraico proferunt. Pauli quoque ad Hebraeos Epistola contradicitur, quod ad Hebraeos scribens, testimonijs utitur, quae in Hebraicis uoluminibus non habentur. Haec Hiero.

¶ Scripturas nemo potest admissim
explicare, et multa credere ex

Problemata.

pedit magis, q̄ curiose scrutari.

¶ Multa quoque sunt in Scripturis quæ incredi-
bilia uidentur, & tamen uera sunt: multa indissolu-
bilia, ad quæ magis expedit conuiuere, q̄ hæc
dixit et scrutari curiose: maxime, quia scriptum est. **Li. 1. Cor. 30**
tera occidit, spiritus uiuificat. Quemadmodum est
hoc de Mathusalem, qui uixit 34 annis post diluui-
um. & tamen non est ingressus arcam Nohe. Et
alia multa, de quibus mihi uidetur Apostolus Pau-
lus præcepisse, ut missas faciamus curiosas quæsti-
ones, quæ ad contentionem deseruiunt magis, q̄ **1. Tim. 30**
ad eruditionem & pietatem. Et tamen in curiosis **Titum. 3**
illis scrutandis, & exancladis, interdum maiorem
operam ludimus, & negotium nobis facimus, q̄
in hijs, in quibus rerum summa consistit.

¶ Discipuli, amixi & consanguinei, quomodo
aliqui in Scriptura fratres nominantur.

¶ Illud etiam opere precium est nosse, quod qui
cumque sunt de una tribu, de uno stemmate, fratres
uocari: patres uero non solum carnales illos, sed &
præceptores, tutores & nutricios. Sic intellige quod
in Euangelistis est de fratribus Domini, de filijs
Israel, & Moses, & Aaron, &c.

¶ Deus quare tam obscure locutus est per prophetas.

¶ Prophetæ quod perplexis sententijs, parum
sibi coherentibus, scripserunt, mirisque ænigmatibus
atque meandris nunc huc, nunc illuc uidentur torque-
re sese, ideo factum putemus, oportet, ne si ordinem

Problemata & Tropi.

conseruet Scriptura. nō sit iam uaticinium, sed p̄r
narratio, quod dicitur, Est de hoc Origenis memo
ratu digna sententia, Cōmentarijs in Ezechielem.
Semper inquit, Sacramēta Dei, propter Paruulos
auditores, uelaminibus quibusdā operiuntur: quia
legis & prophetarum Deus abscondit mysteria nō
diligentibus se, sed timētibus, ut ait propheta, Quā
magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quā ab
scondisti timētibus te. Paruuli quippe sunt, nec pos
sunt cum emolumento suo discere quod amentur a
patre, ne dissoluantur, ne despiciant bonitatē Dei.
Hac Origenes. Verum de hīs alio tēpore plura.
¶ Tropi quidā & metaphoraē cōmunes.
¶ Iob. 15. Ego sum uitis uera, Et nos palmites.
Pater meus agricola.
¶ 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus.
¶ Gen. 4. 1. Septem boues pulchrae, & septem spicae
plena, septem ubertatis anni sunt.
¶ Mat. 27. Oportebat ergo te cōmittere pecuniam
nummularijs.
¶ Mar. 4. Faciam uos piscatores hominum.
¶ Luca. 8. Semen est uerbum Dei.
¶ Exodi. 12. Est enim phase, id est, transitus Dñi.
¶ Ager, est mundus.
¶ Inimicus homo, est diabolus.
¶ Iohan. 3. Destruite templum hoc.
¶ 1. Iohan. 1. Deus lux est. Neque enim Deus lux
est aliqua corporalis.

Scripturarum Oth. Brun.

Lucæ. 11. Confidite. Amen dico uobis, quicumque
dixerit monti huic. &c. Nusquam legimus Domi-
num, uel Apostolos montes transtulisse.

Ioban. 20. Hæc cum dixisset, flauit in eos, & di-
xit. Accipite spiritum sanctum. Neque enim hali-
tus fuit spiritus sanctus, sed spiritus iudicium.

Sic & alibi sæpe figuræ rerum, uocabulis rerum
denotantur. ut per linguas igneas, quæ super disci-
pulos apparuerunt, & per columbam, quæ Domi-
num manifestauit uere unctum.

Matth. 11. Si uultis recipere, ipse est Helias ille q
uenturus erat. Quod Luce. 11. explicacius dicit. Ipse
præcedet ante illum cum spiritu & uirtute Helice.

Gene. 2. Lignum erat uite in medio paradisi, liz-
gnumque scientiæ boni & mali. Num arboribus tri-
buimus quod Deo est solū uinificare & illustrare?

Ioh. 19. Mulier, ecce filius tuus, ecce mater tua.

Matth. 23. Non exortus fuit, inter eos qui nascun-
tur è mulieribus, maior Ioanne Baptista. &c.

Matth. 25. Omni habenti dabitur, & ab eo qui nõ
habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Quomodo
do quis habet, quod non habet nisi quod figuram
gerit habentis.

Ioban. 7. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura.
flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.

Matth. 5. Si oculus tuus dexter obstaculo fuerit
tibi, erue illum.

Matth. 7. Ne detis quod sanctum est canibus. &c.

De Tropis

- Omnis arbor bona, fructus bonos facit.
Nullius inicit assumentum pañi rudis. *Ge.*
Mat. 10 Ecce ego mitto uos sicut oues. *Ge.*
Matth. 12 Aut facite arborem bonam.
Progenies uiperarum.
Matth. 16 Cauete a fermento phariseorum.
Mat. 18 Nisi efficiamini sicut pueri.
Luce. 1 Suscitauit cornu salutis nostrae.
Psal. 43 Inter inimicos nostros uentilabimus
cornu.
In Zacharia quoq; quatuor cornua, quatuor po-
tentissima Regna demonstrant.
Esa. 48 Audite me domus Iacob, q; de aqs Iuda
existis, idest, de semine uel stirpe Iuda.
Esa. 46 Simulacra contrita sunt, & contabu-
erunt simul, non potuerunt saluare portantem, ani-
ma eorum in captiuitatem ibit.
Breuiter, tota scriptura plena est tropis huiusmo-
di, figuris & locutionibus. Et ut rem omnem uno
(quod aiunt) fasce cõplectar, semper aliud præfert
in cortice, aliud complectitur in medulla spiritus
Dei.
Sic terram, accipit frequenter pro hominibus qui
sunt in terra, idest, continens pro contento.
Montes, pro hijs qui sunt in montibus.
Verbum, pro facto. *Exodi. 2* Notum factum est
uerbum hoc.
Aridam, pro terra.

Scripturarum Oth. Brun.

Aquas, pro lactu, uel semine.

Videre, pro intelligere.

Ducere, pro ferre.

Pueros, pro seruis.

Manum, pro potestate.

Panem, pro quolibet uictu.

Testamentum, pro pacto.

Animā, pro uita. Gen. 37. Ne feriamus eū in ani-
ma. Iob. 2. Animam eius non tangas. Mat. 10. Ani-
mam occidere non possunt.

Voces, pro tonitruis.

Fratrem, pro quolibet homine. Exod. 10.

Nemo uidit fratrem suum tribus diebus.

Canem, pro extremo hominum uel pecore. Ex. 12
Apud omnes autem filios Israel, non mutiet ca-
nis ab homine usque ad pecus.

Carnem, pro toto homine. Psa. 55. Non timebo
quid faciat mihi caro.

Peccatum, pro poena peccati. Leui. 20. Portabit
peccatum suum.

Sanctificari, pro sancto haberi. Leui. 22. Sanctifica-
bor in eis. Matth. 6. Sanctificetur nomen tuum.

Mulierem, pro uirgine.

Ferrum, pro tribulatione. Deutero. 4. Eduxit ex
fornace ferrea ex Aegypto. Psa. 104. Ferrum per-
transiit animam eius.

Dormire, pro concubere. Deut. 27. Maledictus
qui dormierit. &c.

De Tropis

- Dormire, pro mori.
Currus & castra, pro hijs qui sunt in curribus et
in castris. Iud. 4.
Pauesecit Dominus currus eius.
Militiam caeli, pro stellis.
Inebriari, pro repleti et saturari. Psa. 64. Visita
sti terram, et inebriasti eam.
Filiis, pro neptibus. Gen. 46.
Intrauit Iacob in Aegyptum, & omne semen
eius, filiae, et filiae filiarum eius cum eo, cum con-
stet tamen, non nisi unam filiam habuisse Dina.
Caput, pro qualibet sumitate.
Gen. 47. Adorauit super lectuli caput.
Lac & mel, pro omni affluentia.
Clamorem, pro oratione secreta. Exo. 14. Quid
clamas ad me?
Digitum Dei, pro spiritu Dei sancto.
Luce. 11. Si ego in digito Dei eicio daemonia.
Quod Mathaeus expressius dicit. Si ergo in spiri-
tu Dei. Et. 30. Et. 30. Et. 30.
Videre, pro audire. Exo. 15.
Omnis populus uidebat uocem, & lampades.
Nomen unius hominis, pro integra tribu.
Iudic. 1. Judas ascendat. Et rursus. Dixit Iu-
das ad Symeon fratrem suum. Vtique tribus ad
tribum.
Graecos, pro omnibus gentibus. Rom. 1.
Iudaeo primum & Graeco.

Scripturarum. Oth. Brun.

Argentum, pro pecunia. Esaiæ. 52. Sine argento redimimini.

Saluatorem, pro homine per quem Deus salutem facit.

Benedicere, pro maledicere. 3. Reg. 21. Et benedixit regi.

Ligna, pro hominibus. Ezechie. 17. Ego humiliavi lignum sublime, & exaltaui lignum humile, et siccaui lignum uiride, & frondere feci lignum aridum. Capite. 31. ad idē, Omnia ligna agri concussa sūt. cap. 20. Ecce ego succedam in te ignē, et comburam in te omne lignū uiride, & omne lignū aridū.

Volucres, pro hominibus. Ezech. 17. Habitabūt sub ea omnes uolucres, & uniuersum uolatile sub umbra frondium nidificabit.

Leones, pro Principibus. Ezech. 19. Quare mater tua Leena, inter leones cubauit, in medio leoncularum enutriuit catulos suos.

Calicē, pro cruce. Eze. 23. Calicē sororis tue bib.

Brachium, pro potentia. Ezech. 30. Et cominuam brachiū eius forte. Luc. 2. Fecit potentia in brac. suo.

De quibusdam Locis Scripturarum

SVNT & loci aliquot Scripturarum contra hebetes & pugnantes, uel quæ uidentur potius pugnare, cum magis ipsi nobis pugnemus, & hebetes ad tantam lucem perspicendam simus, quos conferre

De Locis.

collatis antecedentibus & sequentibus oportebit: uel si id non queamus, spiritui interpreti relinquere, non temere iudicare & damnare, De quibus sic quoque pulchre reliquit doctissimus uir. M. scriptum Lutherus, in uolumine de Arbitrio.

Hoc fateor (inquit) multa loca obscura & abstrusa, non ob maiestatem rerum, sed ob ignorantiam uocabulorum, & grammaticæ, sed quæ nihil impediant, scientiam omnium rerum, in Scripturis. Quid enim potest in Scripturis angustius latere reliquum, postquam factis signaculis, & uoluto ab ostio sepulchri lapide, illud summum mysterium proditum est. Christum filium Dei factum hominem, esse Deum, trinum & unum, Christum pro nobis passum, & regnaturum æternaliter? Nonne etiã in beatis uersis sunt nota et decantata? Tolle Christum ex Scripturis, quid amplius in illis inuenies?

Res igitur in Scriptura cõtentæ, omnes sunt prodite, licet quædam loca adhuc uerbis incognitis, obscura sint. Stultum est uero, & impium, scire res Scripturæ esse omnes in luce positas clarissime, & propter pauca uerba obscura, res obscuras dictare. Si uno loco obscura sunt uerba, at alio sunt clara. Eadem uero res manifestissima toti modo declarata dicitur, tñ uerbis clariis, tñ adhuc lateet uerbis obscuris. Iã nihil refert, si res sit in luce, an aliquod eius signum sit in tenebris. cū interim multa eius signa sint in luce. Quis diceret fontem publicum non

pugnantibus.

esse in luce, quod hi qui in angiportu sunt, illum nō vident, cum omnes qui sunt in foro uideant?

Nihil est igitur quod de Coricio specu adducitur, non habet ita res in scripturis, & quæ sunt summe maiestatis & abstrusissima mysteria, nō sunt amplius in secessu, sed in ipsis foribus, et in propatulo producta & exposita. Christus enim aperuit nobis sensum, ut intelligamus Scripturas. Euangelion prædicatum est omni creaturæ, & in omnem terram exiit sonus eorum.

Igitur omnes Sophistæ, agite, producite unū aliquod mysterium, quod sit in scripturis adhuc abstrusum. Quod uero multa manent abstrusa, nō hoc fit scripturæ obscuritate, sed illorum cæcitate & sordidia, qui non agunt, ut clarissimam lucem uideant. Sicut Paulus de Iudæis dicit. 2. Cor. 4. Vela-
men manet super cor eorum. Et iterum. Euangelion nostrum in his qui pereunt, opertum est, quorū deus huius seculi corda excæcauit. Eadem temeritate solem, obscurumq; diem culparet, qui ipse sibi oculos uelaret, aut a luce in tenebras iret, & sese absconderet.

Desinant ergo miseri homines, tenebras & obscuritatem cordis sui, blasphemam peruersitate, scripturis Dei clarissimis imputare. Tu ergo cū Paulum adducis dicentem, Incomprehensibilia sunt iudicia eius, uideris pronomen, eius, ad scripturā retulisse. At Paulus non dicit, incomprehensibilia sunt

De Locis

indicia Scripturæ, sed Dei. Sic Esaias. 40. dicit,
Non dicit, Quis novit sensum scripturæ, sed sensum
suum Domini? Quamvis Paulus asserat, Christianis
notum esse sensum Domini, verum in hijs quæ
donata sunt nobis. Et idem dicit 1. Corint. 2.

Vides igitur, quod oscitanter hos locos Scripturæ
inspexeris, et tam apte citaris, quam apte citas ferè
omnia pro libero arbitrio. Sic et exempla tua quæ
subiungis, non sine suspitione et aculeo, nihil faci-
unt ad rem qualia de distinctione personarum, de
conglutinatione naturæ divinæ et humanæ, de pec-
cato irremissibili, quorum ambiguitatem dicis nos
dicam esse resectam. Sic de Sophistarum quæstio-
nibus circa has res agitatis. Quid tibi Erasme fe-
cit innocentissima Scriptura, ut ab usum scelerato-
rum huiusmodi, obijcias illius puritati? Scriptura
simpliciter confitetur trinitatem Dei, et humani-
tatem Christi, et peccatum irremissibile. Nihil
hic obscuritatis aut ambiguitatis. Quibus vero
modis ista habeant, Scriptura non dicit, ut tu fingis,
nec opus est nosse.

Sophistæ hic sua somnia tentant, illos argue, et
damna, et scripturas absolue. Si vero intelligis de
ipsa rerum substantia, iterum non scripturam, sed
Arrianos argue, et eos quibus opertum est Evan-
gelion, ut clarissima testimonia de divinitatis tri-
nitate, et humanitate Christi, per operationem Sa-
tanæ Dei sui, non videant.

pugnātibūs.

Et ut breuiter dicā. duplex est claritas scripturæ,
sicut & duplex obscuritas. Vna externa, in uerbis
ministerio posita. Altera in cordis cognitione sita.
Si de interna claritate dixeris, nullus homo unum
iota in scripturis uidet, nisi qui spiritū Dei habet.
Omnes habent obscuratum cor, ita ut si etiam dis-
cunt, et norunt omnia proferre scripturæ, nihil tam-
en horum sentiunt, neq; cognoscunt, neq; credunt
Deum, nec se esse creaturas Dei, nec quicq; aliud.
iuxta illud Psalmi. Dixit insipiens, non est Deus.
Spiritus enim requiritur ad totā Scripturā & ad
quamlibet eius partem intelligendam. Si de extre-
ma dixeris, nihil prorsus relictum est obscurum,
aut ambiguum, sed omnia sunt per uerbum in lu-
cem producta certissimam, & declarata toti orbī
quæ sunt in scripturis.

Hactenus Lutherus, nos obiter aliquot Locos
subsignauimus: tu interim inter legen-
dum reliquos obseruabis, & inuicem
compones. Extat & uolumen
super hoc Andreae Albas-
meri, hominis sane
acuti, & dis-
ligentis,
ad cu-
ius
consonantias et interpretamenta
te remittimus.

L O C I S

I

1. Iohan. 1. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges.

Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, revertimini & uiuite.

II

Exo. 30. Facies altare ad adolendum thimiana.

Esa. 1. Quo mihi multitudinem uictimaru uestro.

III

Pro. 26. Responde stulto iuxta stultitiam suam.

Pro. 26. Ne responde stulto iuxta stultitiam.

IIII

Mat. 10. In uiam Gentium ne abieritis.

Mat. 28. Ite, docete omnes Gentes.

Ne quid tuleritis in uia, neq; uirgam, neq; peram, neq; panem.

V

Marci. 6. Et praecepit illis, ne quid tollerent, nisi uirgam tantum.

VI

Mat. 5. Non ueni soluere legem, sed adimplere.

Ga. 3. Christus nos liberauit a maledicto legis.

VII

1. Iohan. 2. Charissimi, non praeceptum nouum scribo uobis, sed praeceptum uetus quod habuistis ab initio.

1. Iob. 2. Praeceptum nouum scribo uobis, quod uerum est in ipso.

IIIIII

Ioh. 3. 12. Non misit Deus filium suum ut iudicet.

○

PUGNANTIBVS.

set mundum, sed ut seruetur mundus per ipsum.

Iohannis. 9. In iudicium ego ueni in mundum, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant.

IX

Roma. 2. Iustus ex fide uiuit.

Iacobi. 2. Quæ utilitas fratres mei, si fidem quis dicat se habere, facta uero non habeat?

X

Iohan. 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.

Iohan. 8. Ego non iudico quenquam.

XI

Iobā. 5. Ego testimonium ab homine non accipio.

Actorum. 1. Eritis mihi testes non solum in Hierusalem, uerum etiam in uniuersa Iudæa.

XII

Iohan. 7. Non potest mundus odisse uos, me autem odit.

Iohan. 15. 17. Si mundus uos odit, scitote, quod me priorem odio habuit.

XIII

Iohan. 13. Omnis qui manet in eo qui peccat, omnis qui peccat, non uidit neque cognouit eum.

Proverb. 24. Septies in die cadit iustus.

Non est homo iustus qui non peccat.

XIIII

Gen. 15. Roma. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam.

C

Iacobi. 2. Abraham pater noster nonne ex factis
iustificatus est, cū obrulisset Isaac filiū suū suū
per altare? **XV**

Iohan. 7. Nunquid uere cognouerunt principes
nostri, quoniam hic uere est Christus? Et dicebat
Iesus. Et me nostis, & unde sum nostis.

1. Corint. 1. Si cognouisset, nunquid Dominum
glorie crucifixissent. **XVI**

Matt. 7. Nolite iudicare.

1. Corint. 2. Spiritualis omnia diiudicat. **XVII**

Matt. 10. Ne possideatis auram, neque argen-
tum, neque res in crumenis uestris.

Iohan. 13. Judas habebat Loculos.

Iohan. 4. Discipuli iuerant in ciuitatem, ut eme-
rent panes. **XVIII**

Matt. 10. Ne arbitremini, quod uenerim ad mit-
tendum pacem.

Zach. 9. **Matt. 21.** Ecce rex tuus uenit tibi man-
suetus, sedens super asinam. **Esa. 9.** uocabitur pax. **XIX**

1. Thimot. 2. 3. Qui uult omnes homines ad agni-
tionem ueritatis uenire.

Matt. 10. Tamen pauci sunt qui saluantur. Mul-
ti uocati, pauci electi. **XX**

PUGNANTES.

Matth. 23. Omnia quaecumque iusserint uos serua-
re seruate & facite.

Matth. 16. Cauete a fermento phariseorum.

XXI

Deutero. 13. Pseudopropheta interficiatur

Ad Titum. 3. Sectarum hominem & hereticum
denita, non inquit occide.

XXII

Gen. 8. Decimo mense, prima die mensis, appa-
uerunt cacumina montium, emisitque coruum & non
est reuersus, Eodem. Cui pignat quod sequitur,
emisit post eum columbam, quae cum non inuenisset
locum, reuersa est in arcam.

XXIII

Gen. 9. Neque ultra maledicam terram propter homines
Deutero. 28. Quod si audire uolueritis. Et uide
ibi totum caput maledictionis.

XXIII

Gen. 22. Tentauit Deus Abraham.

Iacobi. 1. Deus neminem tentat.

XXV

Gen. 21. Abraham placauit nomen in Bersabea,
& inuocauit ibi nomen Domini Dei aeterni, & fu-
it ibi locus terrae palestinorum.

Astorum. 7. Et non dedit illi hereditatem in terra
illa, ne uestigiam quidem pedis, & repromisit il-
li eam se daturum possidendam, & semini eius.

XXVI

C ij

L O C I V S

Ge. 23. Surgens Abraam adorauit pplm terre
Deu. 6. Dñm deñ tuum adorabis, et ipsi soli ser.

XXVII

Exo. 20. Non facies furtum.

Ex. 11. Loquere secreto in aures ppli, ut petat unus
quisq; a proximo suo, et mulier a proxima sua uas
sa aurea.

XXVIII

Exo. 20. Non assumes nomen dei tui in uanum.
Matt. 6. Vos autem non iurabitis omino.

2. Cor. 11. Deum testem inuoco in animam meam.

Deut. 6. Et in nomine eius iurabis.

XXIX

Exod. 21. Seruus sex annis seruiet tibi. &c.

Eph. 6. Serui subiecti estote dñis uestris. et 1. Co. 7.

XXX

Ex. 24. Videruntq; Deñ, et comederunt & bibe.

Exod. 33. Non poteris faciẽ meã uidere et uiuere.

XXXI

1. Iob. 2. Nunc Anticristi multi facti sunt, et no
uissimum tempus nunc est.

2. Tessalo. 2. Rogamus fratres, ne cito dimoues
a mini a uestro sensu, neq; turbemini, neq; p spiri
tum, neque per sermonem, quia instat dies Do
mini.

XXXII

Psa. 1. Non resurgent impij in iudicio.

1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus.

P V G N A N T E S

XXXIII

Psa. 88. Quis similis deo inter filios Dei.
Cum apparuerit, similes ei erimus.

xxxiiii

1. Ioan. 3. Deum nemo vidit unquam.

Gen. 42. Vidi Dominum facie ad faciem

xxxv

Exo. 20. Ego Deus visitans iniquitatem patrum
in filios in tertiam et quartam generationem.

Ezec. 18. Filius non portabit iniquitatem patris,
sed anima quae peccauerit, ipsa morietur.

xxxvi

Psa. 118. In labijs meis pronunciaui omnia iudicia
oris tui.

Rom. 11. Quam inscrutabilia sunt iudicia eius.

xxxvii

Matt. 6. Attendite ne iustitiam vestram facia-
tis coram hominibus, ut videamini ab eis.

Matt. 5. Ut videant opera vestra bona.

xxxviii

Psal. 118. Iniquos odio habuit.

Rom. 12. Benedicite eos qui vos persequuntur.

xxxix

Gen. 3. Dicit Heua de Cain possedi hominem per deum.

1. Ioan. 1. Ioannes dicit. Non sicut Cain ex illo ma-
lo erat, et occidit Abel fratrem suum.

xl

Prover. 24. Septies in die cadit in stultus.

C iij

LOCI PVGNANTES.

Psal. 111. Iustus in æternum non commovebitur.

XLI

Esa. 42. Arundinem comminutam non confringit.

Psal. 2. Tanquam vas figuli confringes eos.

XLII

Perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Gen. 12. Abraham mentitus est.

XLIII

Ion. 3. Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.

Ionæ. 4. Parcam Ninive civitati magnæ.

F I N I S.

LOCUS PRINCIPALIS

Et in his diebus non comedite

XLI

Et in diebus istis non comedite

Et in diebus istis non comedite

XLII

Et in diebus istis non comedite

Et in diebus istis non comedite

XLIII

Et in diebus istis non comedite

Et in diebus istis non comedite

Et in diebus istis non comedite

F I N I S

Handwritten text on the right edge of the page, partially obscured by tape.

Handwritten text on the left edge of the page.

Handwritten text on the left edge of the page.

Handwritten text on the left edge of the page.

Handwritten text on the left edge of the page.

Handwritten text on the left edge of the page.

Handwritten text on the left edge of the page.

Handwritten text on the left edge of the page.







